

BESSARIONIS

Sed de dogmate quod eodem, quae breuiter dicenda erant, dicta sunt, nec quicquam ulterius addendum est. Rogo autem, posco, peto, & suppliciter oro vos omnes, patres optimi, facer conuertes, animarum pastores, duces caecorum, eruditores insipientium, ut his omnibus consideratis, & bene pensatis, illam feratis sententiam, quae tantae rei conuenit, quaeque perpetuam vobis famam, gloriam, & salutem pariat. Reperatis enim memoria primo, quod non erit nobis de caetero excusatio eadem, quae prius, cur a talibus fratribus diuidamur, & hostes velimus esse Latinis tam multis, tam sapientibus, tam doctis omni virtute praeditis, non solum illa, quae animam ornat, sed etiam ea, quae ad corpus & temporales res attinet, quodque quemadmodum ante generale concilium congregatum facilius nostra excusatio erat, ita post hoc grauis nostra excusatio erit, si non habuerimus dicere causam tali diuisione dignam. Deinde non fugiat vos, quae de necessaria doctorum concordia dicta sunt, nec aliter nos dicere posse, dum Christiani esse, & principia fidei saluare velimus, quodque praesens Occidentales aptissime ex parte & filio spiritum sanctum procedere asseuerant, & filium esse eius principium, prout pater, Orientales quoque hoc idem dicere, partim ex patre per filium, partim ex patre & filio, & ex utroque procedere, & ex filio esse ipsum dicentes, cumque haec dicant, Occidentalibus conuenire, & eadem non solum sententia, verum etiam verbis dicere, tanquam vno & eodem spiritu eos illuminante locuti. Demum, quamquam sola nobis ad ea, quae Latini dicunt relictae responsione, video, cum ipsi quoque nullam esse iudicaueritis, immo vero rem puerilem, & omnino ridiculam, consulamus nobis ipsis, quae vtilia sunt, & vniuersi Latini conemur, si ea quae placita sunt deo facere velimus. Aut enim non acceptandi sunt sancti doctores, nec dictis eorum acquiescendum, aut acceptandi quidem, & acquiescendum dictis eorum, non tamen omnibus, cum ipsi quoque tanquam homines in quibusdam errare potuerint, aut quod reliquum & tertium est, nec in aliquo inciderunt errore, & cunctis eorum verbis acquiescendum. Haec tum, quae Latini produxerunt, tanquam illorum sanctorum testimonia, non ex eorum mente procedunt, nec eorum sententiae sunt, sed Latinorum horum fictiones, additiones, & appositiones manu, menteque aliena libris sanctorum inscripta. At primorum duorum neutrum certe scio, nec vos approbatis, nisi quia omnia fidei nostrae fundamenta, ecclesiae mysteria, omnem veritatem euertere velit, reliquam vero & tertium manifesta stultitia, aptissima ignauia est, si tot libros, tot eorum opera doctorum, tot eorum labores, tot volumina, praesertim antiquissima manu nonnulla eorum conscripta, & per totum orbem terrarum sparsa & multiplicata, per ipsum iter sequentium ad praecedentia conexum, & conuenientiam, ipsam veritatem luce clario ostendit, temerario ausu corrupta, mutata, & supradicta esse dicemus, maxime cum videmus ipsos quoque nos etiam antiquos, & qui in ipsis principibus huius acerrimi dissensionis fuerunt, facientes quod mentionem autoritatum doctorum Occidentaliu, nil tamen contra eas habentes, quod dicerent ratione dignum. Quo fit, ut nullo modo quae eas putare debeant corruptas fuisse, siquidem in ipso etiam contentiois principio eodem modo inscriptis libris erat potissimum, cum nec extet apud nos alia eorum doctorum antiquorum volumina lingua latina scripta, ad quae, facta comparatione, possemus deprehendere eorum corruptionem. Quae omnia cum aduenerint, & me repetam, non eligamus quae peiora sunt, nec contra nos ipsos nosiam feramus, non limus nec nos ipsos, nec nationem nostram perdere, primo quod de auertentes a veritate, & oculos ne videant lumem claudentes, deinde ipsimet propria sponte contra nos ipsos omnem gentium malorum accumulantes, & multiplex totam nostram nationem offendentes. Quis enim ignorat quod etiam temporalia mala ex hac diuisione nos secutura sunt, quae infortuniarum quodque eodem hostem & inimicum nobis Turcarum principem robustior contra nos ipsos efficiemus, in periculoque sunt, ut omnino fere pereant, quod cumque ritum nostrum sequuntur Christiani, nomenque Christi illicitum totaliter deleat. Et enumerassem, & deplorassem omnes particularius, quae futurae sunt nationi nostrae calamitates, quae cum uestris hominibus, qui in insulis, qui vbiusque terrarum, qui Orientem, qui Septentrionem, qui Occidentem inhabitant, nobiscumque in ritu conueniunt, non dico solum, quae ad corporalia, resque temporales attinent, (non enim tanti essent extimandae) verum etiam, quae ad animam & integritatem fidei pertinent, cum omnes simpliciter, aut maior eorum pars partim sponte, partim vi periclitent aberrare a fide, reslinquere deum, & erroribus infidelium consentire. Narrassem haec (in qua) omnia, nisi vos alloquerer, quae omnia melius me nostis, Quis enim nescit, quod solum nobis relicti refugium erat Latinorum amicitia & vnio cum eis futura, hac res sperantibus, & nos ipsos tueri posse, & hostes deuincere, quodque hoc solum hostem deterrebat, & eius contra nos furor refrangebatur, qua re si nunc priuabimur, qui fugiemus, qui nam nostrae calamitatis finis erit, quae malorum exitus? Et si errare quod de Latinos & a veritate auertere deprehendissimus, nec ipse profecto vobis consuluissim, eis ita se habebit?

vniuersi,